

tra; illa enim de causa terra promissionis privatus est, Numer. 20, ut recte ponderat Chrysostomus, lib. 4 de Sacerdotio, prope initium; et Augustinus, in lib. 50 Homiliarum, hom. 27, et Enarrat. in Psal. 98, versus finem. Videtur autem voluisse Deus, ad maiorem populi terrorem, ut nec vivus, nec mortuus illam terram ingrederetur, ideoque occultavit sepulchrum ejus, ne Judæi ossa illius secum deferrent, sicut ossa Jacob et Josephi transtulerunt. Præterea dici potest occultasse Deum corpus Moysi, ut in majori admiratione et interna reverentia haberetur. Hoc enim insinuavit Hieronymus, Amos cap. 9, dicens: *Ascendit Dominus cum Moyse, cujus sepulture locus, quia in cælum ascenderat, in terra non potuit inveniri.* Denique dici potest, et fortasse securius, hoc esse unum ex his quæ secundum consilium voluntatis suæ operatur Deus, quorum causas invenire non possumus, et quærere supervacaneum est, id quod insinuavit Chrysostomus, orat. 20 ad Hebr., dicens, *quædam antiquorum Patrum ossa translata esse in terram promissam, Moysis autem ossa sita fuisse in terra aliena, et non solum illius, sed etiam Aaronis, Jeremie et Danielis. Et similiter, ait, quorundam Apostolorum, ut Petri et Pauli, etc., sepulchra novimus, aliorum autem nescimus, cujus rei rationem quærere superfluum esset.* Illa ergo conjectura in tam gravi causa supervacanea etiam est.

CAPUT XIII.

DE IMAGINIBUS DEI UT DEUS EST.

1. *Obiectio regis contra imaginis Dei adorationem. — Imago Dei duplex.* — Præter objectiones generales de veneratione imaginum, duas alias in particulari proponit rex: unam, contra imaginem Dei, utique ut Deus est; aliam contra crucis Christi adorationem; de hac posteriori dicemus capite sequenti, hic prior expendenda est, in qua dicit: *Non solum est prohibitum (scilicet in veteri Testamento) adorare imaginem Dei, sed etiam effingere, additaque ratio, Deum sub nullius unquam aspectum cecidisse.* Verumtamen in hoc puncto vulgaris distinctio imaginum Dei permittenda est: una est propria, ut si quis velit per depictam formam ad vivum exprimere propriam Dei formam, seu naturam, quæ dici potest formalis imago; alia vero est metaphorica imago, in qua per aliquam figu-

ram corpoream repræsententur aliquo modo et per analogiam proprietates rei superioris, sicut per figuram juvenis, pennas et indumentum album habentis, repræsentantur Angeli.

2. *Propria et formalis Dei imago describi nequit.* — Quod ergo spectat ad primum genus imaginum, de fide certum est non esse licitum, imo esse stultissimum conari talem imaginem Dei depingere. Quia cum Deus corpore careat, impossibile est per imaginem corpoream, sive sculptam, sive depictam, ad vivum Deum repræsentare. Et hoc est quod dicitur Isaïæ 40: *Cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* et cap. 46: *Cui assimilastis me, et adæquastis, et comparastis me, et fecistis similem?* Quæ verba, si attente considerentur, non tam continent prohibitionis formam, quam declarant esse per se malum et impossibile, talem Dei similitudinem aut imaginem formare. Et ideo non solum in veteri Testamento, sed etiam in novo, eodem fere modo idem prohibitum est, dicente Paulo, Actor. 17: *Non debemus æstimare auro et argento, aut lapide, sculpturæ artis, et cogitationis hominis Divinum esse simile.* De hoc ergo genere imaginis Dei nulla est controversia, nam in hoc sensu et Patres communiter, quos referre non est necesse, et septima Synodus, Act. 3 et 5, et Scholastici omnes has imagines Dei omnino improbandas, tanquam veræ Dei existimationi contrarias, constantissime docent.

3. *Descriptionem metaphoricæ imaginis Dei, neque malam neque prohibitam esse.* — De altero vero genere imaginum Dei nihil hactenus est certa fide stabilitum, et consulto Concilium Tridentinum de imaginibus Christi, Deiparæ, et Sanctorum agens, nihil de imaginibus Dei dixit; et Concilium Nicænum II, reprobando priores imagines Dei, de posterioribus tacuit, et ita inter catholicos Doctores variæ sunt in hoc puncto opiniones. Cum ergo hic solum de dogmatibus fidei agamus, possemus hanc regis objectionem omittere, ut in hac parte in suo sensu abundet. Quia vero docere intendit talium imaginum usum esse impium, et contra divinum præceptum, et nos credimus, longe probabilius esse neque malum, neque prohibitum, imo honestum esse et magis pium, si prudenter fiat, magisque consentaneum Ecclesiæ usui, ideo utrumque breviter probandum est. Primum ergo ostendimus fere discursu supra facto, quia depingere talem imaginem Dei non est

prohibitum in novo Testamento de speciali præcepto positivo, quia de imagine Dei solum inveniuntur in novo Testamento citata verba Pauli, quæ aperte tantum jus naturale declarant.

4. *Exponuntur loca Scripturæ de imaginibus Dei loquentia.* — Si autem dicatur contineri hanc prohibitionem in veteri Testamento, de illa iterum interrogamus qualis fuerit illa prohibitio; res enim dubia est, tam quoad sensum, quam quoad genus præcepti. Unde si prohibitio dicatur esse moralis, et ex lege naturali, intelligenda erit de imagine propria, et non de metaphorica, quia nulla est verisimilis ratio quæ ostendat esse per se et intrinsece malum, Deum metaphoricè depingere, ut statim dicam. Et quidem in locis Isaïæ citatis, in quibus jus ipsum naturale explicatur, de propriis imaginibus Dei sermo est; nam, ut notat Hieronymus in c. 40, irridet Isaïas stultitiam gentium, qui putabant idola sua esse Deos, vel propriam Dei formam repræsentare. Unde ad illa verba: *Cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* addit Hieronymus, *qui spiritus est, et in omnibus est, etc.* In cap. autem 46, reprehenduntur Judæi gentium stultitiam in hoc imitantes. De hac item forma possunt convenienter intelligi verba Moysis, Deuter. 4: *Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis, vocem verborum ejus audistis, et formam penitus non vidistis.* Quamvis etiam sensus esse possit, nullam omnino formam vel quasi personam sensibilem vidisse, sed tantum vocem loquentis audivisse; nam hoc magis indicant alia verba, quæ Moyses infra repetit: *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est nobis Dominus in Ore de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis cunctam similitudinem.* Et ita est probabile fuisse ibi, et Exodi 20, prohibitum fingere quamcumque imaginem Dei, sub quovis prætextu, quia rudis ille populus facile existimaret illam esse propriam formam Dei, vel ipsas statuas ut deos adoraret. Tale autem præceptum sic intellectum positivum fuit ac cærimoniale, conveniensque illi populo propter imperfectionem suam; et ideo nunc jam cessavit, et mutato etiam rerum statu non fuit necessarium, quia illa occasio seu periculum sublatum est, ut supra dixi. Cujus etiam rei sufficiens signum est, quia in Christi Ecclesia permittitur usus talium imaginum Dei, non solum nunc, sed ante mille trecentos annos, ut intelligi potest ex variis carminibus quæ

de his imaginibus habet Paulinus, Epist. 12. At Ecclesia non permisisset illas tot sæculis, si divino jure prohibitæ fuissent.

5. *Instantia regis. — Enodatio.* — Sed instat rex, non solum propter periculum adorationis, sed etiam propter indecentiam et inutilitatem, prohibitum esse tales imagines effingere. Nam, *cum Deus (inquit) ad virum exprimi non possit, supervacaneus est labor, conatusque inanis, id falsa adumbratione corrumpere, quod imitari non possis; quod nemo, non dico princeps, sed vix quisquam homo plebeius in sua effigie ferre sustineat.* At rationes istæ in Scriptura non leguntur, sed a Protestantibus excogitatæ sunt. Et in priore earum quidpiam falsum supponitur, et sanctæ Scripturæ contrarium, ne dicam injuriosum. Nam si omnes metaphoricæ imagines, quæ ad vivum non possunt imitari prototypa, falsa adumbratione illa corrumpere dicenda sunt, omnes etiam parabolæ ac figuræ significandarum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio est intelligendum, dicentur esse mendacia, ut in simili dixit Augustinus, lib. contra Mendacium, c. 10. Sic ergo, quando descendit Spiritus Sanctus in specie columbæ, vel quando sub specie linguarum tanquam ignis missus est, falsa adumbratione forma ejus corrupta est. Idemque erit dicendum de imagine Christi sub specie agni, cum tamen illius imaginis usus antiquissimus in Ecclesia sit. Item imago Angeli sub specie juvenis, etc., esset formæ angelicæ corruptio, quod non solum est contra septimam Synodum, sed etiam contra Scripturam, quatenus in illa legimus imagines Cherubim, Exod. 25, 3 Reg. 6. Imo etiam est contra omnem rectam rationem, quia nos non capimus res incorporeas, nisi instar corporearum, ut recte declarant Dionysius, c. 2 et ult. de Cœlesti Hierarch., et Tertullian., in Apolog., cap. 29. Denique omnes sensibiles apparitiones Dei aut Angelorum in Scripturis essent formarum illorum falsæ corruptiones. Quia ergo in metaphorica representatione non est falsitas, ideo metaphoricæ imagines Dei falsitatis argui non possunt. Neque etiam potest inanis aut supervacaneus reputari usus earum, cum deservire possint ad manuducendum quasi intellectum hominis, ut invisibilia instar visibilium cognoscat, et ad memoriam mysteriorum, quæ Deus sub forma visibil operatus est.

6. Unde facile etiam patet responsio ad

aliā conjecturam, quod nullus princeps, imo nec privatus homo talem deformationem suae formae permetteret; nam eodem modo Deum, qui saepe sub forma visibili apparuit, arguerent, quia nullus homo ita se ipsum deformeret. Imo etiam reprehenderent Scripturam, quia saepe loquitur de Deo tanquam de homine, tribuens illi dolorem, poenitentiam, corporis membra, et similia; nam est eadem ratio de verbis scriptis quae de imaginibus; quia (ut recte dixit Gregorius) illud est imperitis imago, quod doctioribus scriptura. Est ergo debilis illa conjectura, tum quia in illis imaginibus nulla est turpis deformatio, sed metaphorica significatio; tum etiam quia non fit sine gravi causa et necessitate, orta partim ex divina excellentia, quae non potest aliter representari, partim ex indigentia hominis, qui non potest spiritualia prout in se sunt concipere, cum tamen per sensus debeat excitari ad eorum cognitionem vel recordationem. Ideoque non est simile neque magni momenti argumentum ab hominibus sumptum, quia homo sensibilem formam habet propriae imaginis capacem, et nihilominus non dedignatur homo, etiam princeps aut imperator, excellentiam suam aut fortitudinem, per metaphoricam imaginem aquilae aut leonis, aut aliam similem representari.

CAPUT XIV.

DE CRUCIS CHRISTI ADORATIONE.

1. Ultimo invehitur rex contra crucis Christi venerationem. Sed ne diutius forsā quam necessarium aut par sit, in hac materia immorer, hoc punctum breviter expediam, tum quia eadem fere est ratio de cruce quae de aliis reliquiis vel imaginibus, tum etiam quia rex nihil in hoc objicit, nisi argutias quasdam quas olim Claudius Taurinensis et Wiclephus objecerant, et a Catholicis inanes reputatae sunt. De cruce igitur triplex est consideratio, ut alibi dixi¹, scilicet, de signo ejus circa propriam personam digito vel manu expresso, vel de imagine crucis facta ex permanenti materia, vel de ipsamet cruce in qua Christus passus est, vel integra, vel de particulis ejus. De prima consideratione nihil rex attigit, et de illa dixi loco citato, sect. 3. Se-

¹ 1 tomo tertiæ partis, disp. 56.

cundam etiam considerationem rex omisit, quia eadem ratio est de imagine crucis quae de reliquiis.

2. *Dilemma regis adorationem crucis Christi oppugnantis.* — Contra crucem vero tertio modo spectatam quod veneranda non sit, hac brevi ratione multis verbis conatur efficere. Nam si veneranda esset, maxime ratione contactus; hanc enim rationem praecipue solent scholastici assignare. *An igitur ratione omnis contactus, vel alicujus?* Primum dici non potest, tum quia licet mulier, quae erat in fluxu sanguinis, tangendo fimbriam vestimenti Christi senserit virtutem ejus, non ideo eam senserunt omnes qui Christum premebant, Luc. 8; tum etiam quia alias labia Judae osculo Christum tradentis, et manus militum caedentium et crucifigentium Christum, et terra Chanaam, quotidianis Christi vestigiis tacta, essent a nobis adoranda, quod impium et profanum est dicere. Si autem non omnis contactus, sed aliquis singularis ad hoc genus adorationis sufficit, oportet ostendere quis ille sit, et ubi Christus singularem hanc benedictionem in lignum illud effuderit, vel privilegium concesserit. Augetque objectionem his modis. Prima, quia Christus mulieri sibi dicente: *Beatus venter qui te portavit*, respondit: *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei*. Secundo, quia, licet Christus dedisset suae cruci virtutem faciendi miracula, non ideo esset adoranda, nam umbra Petri faciebat miracula, quae non idcirco poterat adorari. Tertio, quia Prophetæ maledicunt cultoribus imaginum, quae oculos habent, et non vident, et aures quae non audiunt; ergo haec acerbius dicerent in eos, qui partem ligni, neque ad aurum vel oculorum similitudinem formatam venerantur.

3. *Nullam vim patrandi miracula ex contactu corporis Christi in cruce fuisse derivatam.* — Videtur rex in sua objectionem supponere vel existimare, nos fingere aut cogitare, crucem Christi et singulas partes ejus ex contactu corporis Christi vim aliquam, seu virtutem faciendi miracula, aut extraordinaria beneficia conferendi elicuisse, aut Christum ipsum, speciali concessione et voluntate, illi contactui vim similem vel dignitatem contulisse. Hoc autem a sensu Ecclesiae Catholicae alienum est. Nam imprimis, licet verissimum sit, et historiis ac testimoniis Patrum satis comprobatum, Christum per crucem suam multa edidisse miracula quae nunc referre non est necesse, nihilominus nullus as-

seruit vel cogitavit¹, Christum virtutem aliquam miraculorum effectricem cruci suae indidisse, aut certa lege et promissione statuisset, ad praesentiam vel tactum illius, signa facere, nam hoc nullo fundamento affirmari potest, neque ad illius crucis venerationem ducitur necessarium. Neque etiam fingere oportet Christum, speciali voluntate et quasi positiva institutione, dedisse illi cruci peculiarem dignitatem ob quam honoretur; nam hoc etiam figmentum non modo fundari non potest, verum nec satis intelligi, et ad veritatem, et rem de qua tractamus, supervacaneum est et impertinens.

4. *Catholica de Christi crucis adoratione doctrina explicatur.* — Doctrina ergo Ecclesiae et Theologorum catholicorum est, sicut reliquiae Sanctorum sunt venerabiles, non ex virtute vel institutione superaddita, sed quia, supposita vera sanctitate animarum, seu personarum cum quibus peculiarem habuerunt conjunctionem vel relationem sufficientem ut aliquid illarum esse censeantur, ex natura rei sequitur, ut propter excellentiam talis animae vel personae in veneratione habeantur, ita etiam majori ratione crux Christi et quaecumque illius pars, tanquam pretiosae Salvatoris reliquiae a veris et piis Christianis habentur. Quia sustinendo Christum ipsum, instrumentum fuit nostrae redemptionis, ipsi Christo peculiari modo conjunctum, et ab illo sanctificatum. Ut significarunt Petrus, 1 ep., c. 2, et Paulus, ad Colos. 1 et 2, qui etiam ad Hebr. 9 indicat, fuisse quasi altare in quo Christus se pro nobis obtulit. Ac proinde ob ejusdem Christi amorem et reverentiam venerabilis est. Atque ita rationem venerandi Christi crucem explicuit Damasc., lib. 4, c. 12, dicens: *Hoc ingentis pretii lignum, ac venerandum, in quo Christus seipsum sacrificii causa pro nobis obtulit, ut ex sancti corporis et sanguinis contactu sanctificatum, optimo jure adorari solet.* Et infra: *Nam si eorum, quorum amore flagramus, et domus nobis chara est, et lectus, et vestis, quanto magis ea quae Dei ac Salvatoris sunt, per quae nobis salus parata est.*

5. Et hanc fuisse mentem antiquae Ecclesiae, satis colligitur ex canon. 73, sextae Synodo attributo, et ex septima Synodo, et ex

¹ Vide Paulinum, ep. 41, ad Severum; Evag., lib. 4 Hist., c. 25; Ruffinum, 1. 10 Hist., c. 3; Theodoretum, lib. 1, cap. 18; Severum Sulpicium, lib. 2 Sacrae Hist.

Hieronymo, ep. 17; Ambrosio, Orat. de Obitu Theodosii; Chrysostomo, Homil. Quod Christus sit Deus, ubi ait, *totum orbem contendere aliquid ex illo ligno habere. Et qui habent* (ait), *viri et mulieres, illud auro includunt, ut cervicibus suis aptent, et inde valde sunt honestati, et magnifici, et muniti, et protecti.* Et Gregorius Nyssenus, Orat. de Sancto Baptismate, non longe ab initio: *Lignum crucis* (ait) *omnibus hominibus salutare est.* Per quod verbum indicat beneficia, quae Deus solet per hujusmodi crucis reliquias conferre, cum vera fide et pia veneratione illa petentibus. Quamvis enim sola miracula sufficientem rationem adorandi non continerent, ostendunt tamen placitam esse Deo hujusmodi venerationem, ac subinde crucem ipsam veneratione dignam esse. Adduntque dicti Patres, praesertim Damascenus, idem esse de aliis Christi reliquiis, ut sunt *clavi, lancea, praesepe, indumenta, et vivificum sepulchrum.* Adducitque Damascen. illud Psalm. 131: *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Idemque confirmat illud Isai. 44: *Erit sepulchrum ejus gloriosum*, quod de Christi sepulchro ab omnibus intelligitur, et merito, quia relativum ejus refert radicem Jesse, quam esse Christum exponit Paulus, ad Romanos 15. Dicitur autem illud sepulchrum gloriosum futurum, non solum eo tempore quo Christi corpus in illo jacuit, sed etiam perpetuo ratione illius. Et ita Hieronymus, ep. 17, dicit, *ibi esse praedictum, locum sepulturae Domini esse ab omnibus honorandum.* Haec ergo veritas ex principiis fidei et ex Scriptura colligitur, et rationi naturali est consentanea, et nullum ostendi potest praecipuum quo talis veneratio crucis prohibeatur. Quid ergo est quod Protestantes in tam pio religionis opere calumniantur?

6. *Occurritur dilemmati regis.* — Ad objectionem autem regis, et interrogationem in ea factam, respondit venerabilis quidam Anglus¹, non omnem contactum corporis Christi fuisse sufficientem rationem hujus venerationis, sed tactum innocuum, et ita vitabat absurdum illatum ex osculo Judae. Addunt vero alii ad majorem explicationem, si praecise spectaretur ratio contactus, non deesse in illo sufficientem causam adorationis respectivae, propter Christi excellentiam; impietatem autem personae, illam impedire, ne adoratio in hominem impium refundatur. Et simili modo, ubi fuerit indecentia vel occasio scandali, vi-

¹ Waldensis, tom. 3, c. 18.

tanda erit adoratio, non obstante contactu, quod ad exemplum de asina in qua Christus sedit, accommodandum est. De terra vero illius regionis, quam Christus suis pedibus tetigit, si constaret nunc permanere quoad illas partes quas Christus tetigit, in eadem esset habenda veneratione. Nam et Augustinus, 22 de Civit., c. 8, testatur suo tempore *miracula facta esse per terram sanctam de Hierosolymis allatam*, et a fidelibus fuisse in reverentia et honore habitam! Hoc vero tempore verisimile est terram illam adeo esse mutatam, ut ratio illa contactus cessaverit. Et nihilominus si aliquis viva fide et recordatione Christi, et vestigiorum ejus, illam veneretur, pie faciet, et nulla erit reprehensione dignus, quia tota illa actio ad Christum refertur, et relatio illa (ut sic dicam) sufficiens fundamentum habuit in actionibus et gressibus Christi.

7. Unde ad dilemma Regis respondemus, contactum per se sufficere ad hanc venerationem respectivam, nisi aliquid aliud secundum pruden- sium judicium impediatur. Et ideo non oportet ostendere ubi Christus hanc prerogativam suæ cruci contulerit, quia suis operibus id satis ostendit recta fide et ratione utentibus; neque hoc est privilegium crucis, sed est communis proprietas omnium reliquiarum Christi. Unde exemplum ibi adductum de muliere tangente, et turbis prementibus Christum, prædictis recte perpensis, nequaquam urget, quia hæc venerationis ratio, quæ ex contactu sumitur, non est aliquod opus miraculosum, quale fuit illius mulieris sanitas, quam Christus contulit soli indigenti, et ex fide petenti, sicut voluit, et altissimo suæ voluntatis consilio disposuit.

8. *Responsio ad primam confirmationem.* — *Ad secundam.* — *Ad tertiam.* — Ex aliis confirmationibus, prior nihil ad causam facit, quia Christus respondens: *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei*, docuit quidem beatiorum fuisse Beatissimam Virginem credendo, et diligendo Christum, quam illum corporaliter concipiendo, non tamen negavit quin fuerit magna dignitas Virginis, Christum in ventre suo portare, neque negavit mulierem illam vere et fideliter dixisse: *Beatus venter qui te portavit*, quamvis neque omnem, neque præcipuam rationem illius beatificationis explicaverit, ut eleganter attigit Beda, lib. 4 in Lucam, cap. 49. Alia vero de umbra Petri facile expeditur negando exempli similitudinem, tum quia umbra nihil est, tum etiam quia (ut dixi) ratio hujus adorationis non est

virtus aliqua faciendi miracula. Denique veneratores crucis longe sunt a maledictionibus Prophetarum contra adorantes idola, quia non respiciunt ad formam vel figuram ligni, sicut idololatræ, sed ad Christum, quem in ligno, et propter quem lignum adorant.

CAPUT XV.

DE ERRORE CIRCA PURGATORIUM.

1. *Jacobus rex purgatorium irridet.* — *Primum fundamentum.* — *Secundum.* — Inter alia dogmata catholicæ fidei, in quibus rex ab Ecclesia Romana se dissentire fatetur, articulum de purgatorio ponit, pag. 52 Præfat.; tam leviter tamen illum attingit, ut ludere potius quam fidei causam agere videatur. Nam, licet irrideat et contemnat purgatorii articulum (quod ipse commentum vocat), nihil tamen solidum ad illum impugnandum adducit; imo, licet illum non credat, non tamen absolute negat esse purgatorium; sed *si forte sit*, dicit, *nobis esse ignotum, satisque nobis esse credere eas animarum sedes, quas nobis Deus in Scriptura revelavit, celos, scilicet, et inferos, neque ulterius de divinæ providentiæ arcanis scrutandum esse.* Quocirca fundamentum præcipuum regis est, quia purgatorii assertio ex Scriptura ostendi non potest: *Sane* (inquit) *Bellarminus nullum ei ex Scriptura fundamentum astruere potuit.* Unde infert: *Satis certe nobis fuerit, eas animarum sedes cognoscere, quas Deus suo verbo nobis voluit esse revelatas.* Præter hoc vero fundamentum, tacite, et quasi aliud agens, inserit aliud quasi latenter, dicens de Christo: *Ipsa est vera expiatio, verumque purgatorium nostrorum peccatorum*, quasi subinferens: Ergo aliud purgatorium necessarium non est. In his autem verbis radix non solum hujus erroris, sed etiam plurium aliorum, a quibus iste pendet, delitescit, et ideo ab illo incipiendum est, et totum ulcus breviter aperiendum, ut integra errorum connexio detegatur, ut vel inde rex intelligat, non recte de rebus ad salutem necessariis judicare, cum hæc *indigna existimet, in quibus tempus, et opera impendatur.*

2. *Error Protestantium circa redemptionem Christi, et justificationem impii.* — Protestantes igitur ita de Christi redemptione, et impii justificatione, seu remissione peccatorum plerumque saltem censent, ut totam nostram justitiam in remissione peccatorum ponant.

Remissionem autem hanc solum in hoc do-cent consistere, quod peccata nobis a Deo propter Christum non imputentur, non in hoc quod vel non sint, vel non fiant. Addunt deinde tunc non imputari, quando aliquis firma fide credit, sibi non imputari peccata propter Christum, sive quæ prius fecit, sive quæ in præsentia cum tali fide et apprehensione actu committit; nam Christus hoc nobis promeruit, pro peccatis nostris sufficienter satisfaciendo. Atque ad hoc suadendum, verba Pauli et cæteras Scripturas depravant ad suam ipsorum perditionem, ut Petrus præmonuit¹.

3. Ex his autem principiis inferunt, quoties quis habet eam fidem, quæ sufficit ut peccatum non imputetur, prorsus non imputari, omnemque illius poenam remitti. Nam vel peccator firma fide credit justitiam Christi satis esse, ut sibi peccatum omnino et integre tollatur, et ad nullam poenam imputetur, si ita credat; vel aliter de justitia Christi et non imputatione peccati per fidem cogitat: si hoc posteriori modo in fide illa speciali claudicet, vere non credit, ideoque neque integre, neque ex parte peccatum ei remittetur, seu non imputabitur; sin vero plenam fidem non imputationis concipiat, ad nullam omnino poenam reputabitur peccatum; atque ita remissio poenæ, ad quam posset peccatum mortale imputari, semper aut integra est, aut nulla.

4. Denique ex eisdem principiis inferunt in homine justo nullum esse veniale peccatum, sed aut mortale esse, quod justitiam auferat, aut nullum esse; nam si justus quodlibet opus, quantumvis leve, faciat, credens sibi imputari ad aliquam culpam, eo ipso infidelis est et graviter peccat, et Christo gravem injuriam infert, de illius meritis et satisfactione diffidens; si vero hæc faciat, firmiter credens ad nullam vel minimam poenam imputari, nec leve peccatum committit (utique quod imputetur), nam per Christum purgatur præveniente (ut ita dicam) purgatione, seu non imputatione. Atque in hoc sensu videtur rex vocasse Christum nostrum purgatorium. Cessat igitur, si hæc vera sunt, omnis purgatorii necessitas, quia in homine justo nihil remittendum relinquitur, et ita si in eo statu moriatur, non indiget purgatione; si vero sine justitia moriatur, peribit in æternum.

5. Hæc sunt monstra et portenta ab hæreticis inventa, ut purgatorium de medio tolle-

¹ 2 Pet. 2.

re possint, ut vel hinc videat rex, an assertio purgatorii parvi sit momenti, cum ad illam evertendam necessarium sit potissima fidei fundamenta convellere; imo, etiam opus sit contra divinam justitiam et ordinatam providentiam, addo etiam contra naturalem rationem, comminisci plurima. Fides ergo catholica principiis ac fundamentis omnino contrariis subsistit, quæ breviter et per transennam tantum indicabo, ut ad scopum intentum perveniam; nam si ex professo singula probanda et disputanda forent, justum atque integrum opus necessarium fuisset. Primum ergo fidei fundamentum est, licet Christus ex se sufficienter et copiose omnes homines redemerit, et pro omnibus satisfecerit, nihilominus cum effectu non omnes salvare, ut ipsemet docet, Matth. 25, et est in nostra fide per se notum, idque rex Angliæ in citato loco supponit, dum confitetur duo esse domicilia, cælum ac infernum, humano generi in æternum constituta. Ex quo fundamento aperte aliud sequitur, videlicet, non obstante Christi redemptione, necessarium hominibus esse ad salutem consequendam, ut aliquid agant, vel in eis fiat quo meritum et satisfactio Christi illis applicetur. Probatur, quia existente infinito merito et satisfactione Christi, volentis omnes salvare, ut Paulus dicit, ac subinde pro omnium salute se offerentis, nihilominus quidam salvantur, alii vero perpetuis destinantur ignibus; ergo hæc differentia non aliunde provenire potest, nisi quia præter actiones et passionem, quas Christus ipse exhibuit, necessarium sit aliquid fieri ex parte nostra, quo infinita Christi redemptio nobis applicetur. Atque hoc etiam satis agnoscit Jacobus rex, cum istum articulum concludit, dicens: *Id agamus, ut alterum consequamur, alterum defugiamus.*

6. *Meritorum Christi ad homines applicationem non fieri per non imputationem peccatorum.* — Discrimen ergo inter Protestantes et Catholicos incipit ab hac necessaria applicatione meritorum Christi, per quam, nimirum, actionem, cognitionem aut affectum fiat. Sit ergo secundum fidei fundamentum, hanc applicationem non fieri per illam fidem specialem, quam Protestantes fingunt de propria justitia, aut non imputatione peccatorum, neque per illam peccata præterita remitti, neque præsentia non imputari, neque justitiam veram, quam propter Christum accipimus, in illa non imputatione consistere. Quæ omnia contra regem et Protestantes in eorum

